



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

In Omnes Libros De Perfectione Vitæ Spiritualis, Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)



IN OMNES LIBROS
DE PERFECTIOE
VITAE SPIRITUALIS.
PRÆFATIO.



OMNES homines suapte natura eas res secum cogitatione versare, & cum alijs sermone aut scriptione tractare concupiscunt, in quibus studium & operam posuerunt, aut certe amorem, ac desiderium collocarunt. Ista enim latentes mentis cogitationes, aut in publicum effusi sermones, qui cum alijs conferuntur, non parum (dum aliud non datur) animo satisfaciunt, & ingentem secum voluptatem afferunt. Sic milites trepidam inimicorum fugam, & commilitonum impetum, atque aduersus hostes insectationem libenter cogitant; & de armorum vi, de corporis robore, de inuicta animi fortitudine, de belli periculis, de conflictu praliorum, de urbium expugnatione, ac de victorijs saepe loquuntur. Sic negotiatores de quaestiosa emendi ac vendendi arte, de rerum venalium pretio ac valore, de nundinis, de eorum quae sibi debentur, exolutione, ac de suarum fortunarum augmento vel immiutione tractant. Sic agricola de agrorum cultura, de extirpandis sentibus, ac subigenda vomere terra, de iactu seminum, calore solis, & commoditate pluuiarum, & prouentu segetum, de tempore quo plantanda sunt arbores, ac de alijs rebus rusticis gratissimè verba faciunt. Sic etiam illi, qui alicuius scientia, aut virtutis, aut alterius rei cuiuscumque amore tenentur, illam sapissimè ore versant, illam laudant, eiusque praestantiam longa oratione verbis exaggerant. Atque adeo sicut ignis scintillulis, ita amor oratione se ostentat, & verbum, si bene consideretur, nihil est aliud quam index amoris. Nos igitur, qui ab ineunte aetate nullum aliud studium, nullam operam, nisi vitam religiosam, & à curis rerum terrenarum a uulsam, amplectendam suscepimus, & nullum aliud desiderium, quod urgeat, (haec enim fuit in nos eximia Dei Saluatoris nostri benignitas) nisi virtutis & perfectionis desiderium experimur; uniuersis aliarum rerum materijs abiectis, nihil cupimus nisi perfectionem vitae spiritualis cognitione sanè dignissimam, oratione tractare. Istius amor suauis religionis vinculo, licet minus felici successu, constructos nos tenet, quia quam uehementer optabamus. O infelicitas magna! post tot annos nunquam sumus assequuti. Istius studium ac sitis mentem saepe sollicitat, ut quam nec à limine salutauimus, libris saltem in aliorum utilitatem editis, & in nostrum leuamen conscriptis, prout à Deo donatum fuerit, exprimamus. Non enim est parua consolatio, id cogitare, quod amas, id meditari quod diligis, & si non in animo ualeas, saltem in libro praescribere. Hic itaque amor, hoc perfectionis desiderium, haec in veram virtutem propensio nos (ut ingenue fatear) ad scribendum, & laborandum instigat. Sed quia non est sapientis se propensione sola, & voluntatis inclinatione, sine ratione regere, & sine inspectione suae possibilitatis sola se temeritate gubernare, antequam opus hoc difficile satis, atque impeditum aggredieremur, multum diuque cogitauimus, quid uirium ad illud suscipiendum esset in nobis; quid honesti haberet; & quid utilitatis fratribus nostris esset allaturum. Nam si minus honestum, aut uile foret,

Isaie 59. illud Isaia recte diceretur de nobis, quod telas araneorum texuimus. & quod tela huiusmodi non erunt in vestimentum, neque operiemur operibus nostris: si vero nervos ac vires nostras superaret, omnes qui viderint, incipient illudere nobis, dicentes, quia hic cepit edificare, & non potuit consummare.

Et quidem si de honesto agitur, hanc tractationem dignissimam, & honestissimam reputavimus: quid enim dignius, quam precipuum & excellentissimum Dei opus laudare? qui tametsi in uniuersis operibus appareat admirabilis, sed inter omnia alia, ut est in Psalmo, mirabilis Deus in sanctis suis. Quid honestius, quam via regia hominibus pandere, per quam Deus verè diues in misericordia eos sibi copulat, & in fastigiū suae familiaritatis extollit? Licet enim sacramentum regis abscondere bonum sit, opera tamen Dei reuelare & confiteri honorificum est, & praesertim talia opera, quae non tantum in admirationem rapiunt, sed diuini amoris ignem accendunt. Quid iustius, quam Deo hanc grati animi significationem offerre, ut si religiosa vocationis beneficium exemplis, & vita praecuriam nostra laudare nesciuimus, saltem calamo, & stylo amplificemus? Neque enim quia haec gratiarum actio, quae verbis & laudatione perficitur, parua sit, idè est habèda contempui; nam quaecūq; illa sit, & siue verbis, siue operibus referatur, diuino vocationis beneficium semper inuenietur inferior. Et benignissimus Deus eam non contemnet, qui non obsequij exilitate leditur, sed promptissima obsequentis voluntate letatur. Sapienter enim dixit Gregorius Nazianzenus, Illud quidè minimè dubium est, quin etiā si omnia cōtulerimus, minus tamen collaturi sumus, quam accepimus. Atque illud pulcherrimum, humanissimūq; censendum est, quod Deus munificentiam non oblata rei pretio & dignitate, sed offerentis affectu, & facultate metitur. Hæc Nazianzenus. Dat ipse nobis, si non vires ad satisfaciendū tam ingenti beneficio, saltem gratias agendi voluntatem: cui voluntati respondere oportet, tum ut grati Deo simus, tum ut doni commemoratione ad amorem eius, & ad querendam nostri status perfectionem moueamur. Magnum enim periculum est (inquit Leo Papa) esse homines ingratos Deo, & per obliuionem beneficiorum eius, nec de correctione compungi, nec de remissione letari.

Ob dictas itaque causas honesta satis, & Deo nō ingrata apparet ista tractatio: sed licet illa non intercederet, alia etiam ratione (ut nobis quidem videtur) magni momenti esset suscipienda. Hac enim tēpestate multi nostrae Societatis viri suis lucubrationibus scientias interpretantur, & voluminum scriptione Ecclesiam dilectissimam Matrem illustant. Nonnulli philosophicas disputationes conscribunt; alij Theologicas quaestiones ad fideles erudiendos texunt; hii librorum commentatione cum hereticis feliciter pugnant; illi sanctorum Patrum vestigijs inherentes Scripturas sacras explanant. Nos autem horum discipuli pusilli, & nullius pretij, qui aduersa valetudine coacti scholas reliquimus, & sanctam Ecclesiam tam fructuosos laboribus iuuare nequiuimus, saltem fratribus nostris, & uniuersis vita religiose sectatoribus alio tractationis genere minus laborioso, quia non disputando, sed quiescendo perdiscitur, & nostrae imbecillitati magis accommodato, adiumento sumus, & eos ad mysticam Theologiam, ad artem seruiendi Deo, ad virtutum sequelam, & sanctae perfectionis studium incitamus.

Quod si aequum reputatur (sicut reuera est) ancillas comere & emollire, id est, scientias, quae intelligentiam illustant, exponere, atque exornare; quanto aequius erit pulcherrimā dominam, hoc est, scientiam voluntatis (quae sanctitas dicitur) perpolire, & regalibus indumentis circumdare? siquidem sola sine alijs Deo gratissima est, & reliqua sine ista, neque in caelestē thalamum admittuntur, nec pulchra, & decore existimantur? Hæc est vera infortum sapientia, nam ut scriptum est: Ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia. Quae (ut ait Gregorius) est nihil per ostensionem fingere; sensum verbis aperire; vera, ut sunt, diligere; falsa deuitare; bona gratis exhibere; mala libentius tolerare, quam facere; nullam iniuriam querere; pro veritate contumeliam lucrum putare. Hæc est vera sapientia, quae non in ieiuna speculatione, sed in virili operatione sita est; non in disputationibus, sed in fuga ab omni malo, in adhesionem incommutabili bono, & in perfecta mandatorum obseruatione, atque in animi puritate consistit. Huic omnes scientia seculares obsequuntur, ut fructuose, &

Isaie 59.

Lucæ 14

Psal. 60.

Tob. 12.

Naz. ora.
ad Iulian.
tributorū
exactorum.Leo in
octaua
Apost.
Petri &
Pauli.

Iob 28.

10. Mor.
cap. 16.

utiles habeantur. Mittit enim ancillas suas, hoc est, disciplinas philosophorum (ut B. Thomas interpretatur) vocare ad arcem, & ad mœnia ciuitatis, dum earum argumentis ad fidei defensionem, & ad morum informationem utitur. Huic quoque scientiæ sacræ tamquam fideles, & honorabiles socii famulantur: nam ad hunc finem sunt instituta, & diuinitus inspirata, ut in nostras, & in proximorum mentes, sanctitatis & perfectionis thesauros inferamus.

I. p. q. 1.
art. 5.
Prou. 9.

Quare rectè inquit Hieronymus: sic adhibeatur scientia, tamquam machina quedam, per quam structura charitatis assurgat, quæ maneat in æternum, etiam cum scientia destruetur, quæ ad finem charitatis adhibita, multum est utilis: per se autem ipsa sine tali fine, non modo superflua, sed etiam perniciosa probata est. Sic ille. Huic tandem tamquam potentissima, & eminentissima regina prima sedes, & dignior locus in corde nostro dandus est, secundo & minus honorabili scientiis sicut ancillis reservato. Est enim, quod in se est (inquit dulcis Bernardus) omnis scientia bona, quæ tamen veritati subnixæ sit, sed tu, qui cum timore & tremore tuam ipsius operari salutem pro temporis breuitate festinas, ea scire prius, ampliusque curato, quæ senseris viciniora saluti. Nonne medici corporum medicina portionem definiunt, eligere in sumendis cibis, quid prius, quid posterius, & quemadmodum quid sumi oporteat? Nam etsi bonos constat esse cibos, quos Deus creauit, tu tamen ipsos tibi, si in sumendo modum & ordinem non obserues, reddis planè non bonos. Ergo quod dico de cibis, hoc sentite & de scientiis: sed melius mitto vos ad magistrum. Non est enim nostra ista sententia, sed illius: imò & nostra, quoniam veritatis. Si quis se (inquit) aliquid existimat scire, nondum scit, quomodo oporteat eum scire. Vides, quoniam non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit? Vides, inquam, quomodo fructum, & utilitatem scientiæ in modo sciendi constituit? Quid ergo dicit modum sciendi? Quid? nisi ut scias, quo ordine, quo studio, quo fine quæque nosse oporteat. Quo ordine? Ut id prius, quo maturius ad salutem. Quo studio? Ut id ardentius, quod vehementius ad amorem. Quo fine? Ut non ad inane gloriæ, aut curiositatem, aut aliquid simile: sed tantum ad edificationem tuam, vel proximi. Hactenus Bernardus.

Hier. on.
epist. 21.
de celebratione
Pasche,
ad finem.

Bern. ser.
36. in
Cant.

1. Cor. 8.

Nos itaque honestum iudicamus de naturalium disciplinarum subtilitatibus, & de sacramentorum scientiarum mysteriis disputare. Quo pacto enim fidei veritas inconcussa atque illibata teneretur, si essemus scientiarum expertes, & in atra ignorantis caligine versaremur? sed honestius & dignius putamus perfectionis aperire viam, Euangelij ostendere semitas, & æternitatis itinera manifestare, quæ natura nostra, valde post peccatum procliuis ad mala, magis exhorret, & minus nosse atque ingredi auet. Magnum nempe pietatis opus est (inquit Laurentius Iustinianus) atque Deo satis acceptabile sacrificium, demonum fallacias detegere, vitiorum actus, & causas aperire; virtutum altitudinem pandere; certamina spiritualia docere; & monastica conuersationis disciplinam ac perfectionem manifestare. Sic ille.

Lau. Inf.
in prologo
lib. de
disc. &
perfect.
monast.
relig.

Huius autem melioris, honestiorisque doctrine non preceptores, sed auditores, & condiscipulos nos constituimus, ut & nos ipsos tepidos, & imperfectos, & omnis vitæ spiritualis amatores ad huius gloriosæ doctrine amorem, & studium incitemus. Quis si vniuersi religiosi quæserint, ut mercatores quærunt pecuniam, & sicut thesauros scientiæ, quos tantopere optant, effoderint illam, citra dubium tunc intelligent timorem Domini, & scientiam Dei inuenient. Verum quoniam non ardentem, sed tepidam, & oscitanter quærunt, aut omnino non quærunt, ideo non inuenitur in sanctis religionibus, ut par erat, virtutum, ac perfectionis fructus. Hoc enim est, quod Thomas à Campis auctor piissimus, & venerabilis, satis prudenter plorat, dum ait, Quia verò plures magis student scire, quàm bene viuere, ideo saepe errant, & penè nullum, vel modicum fructum ferunt. O si tantam adhiberent diligentiam ad extirpanda vitia, & virtutes inferendas, sicut ad mouendas quæstiones, non fierent tanta mala, & scandala in populo, nec tanta dissolutio in cænobiiis. Et optimè sanè: nam cura scientiæ immoderata, mentem, & conatum nostrum exhauriens, nihil sollicitudinis, vitis extirpandis & virtutibus inferendis relinquit. Sinè sollicitudine autem, nec vitia destruuntur, nec virtutes augentur, quinimò nobis non aduertentibus paulatim, sensimque decrescunt.

Prou. 2.

Thom. à
Camp. t.
de imitatione
Christi.
cap. 3.

Ex his huius laboris honestas facile elucet, & utilitas iam sese quodammodo ostendat. Nam in cœtibus religiosis sunt aliqui viri fortes, & strenui, qui vitiorum captiuitatem odientes, & sæculi miseram seruitutem detestantes, seipsos ad victoriam, & libertatem excitant illis verbis psalmographi, Dirumpamus vincula eorum, & proiciamus à nobis iugum ipsorum. Hi excutiunt iugum suarum passionum, curas propriarum commoditatum abiciunt; onus honorum & dignitatum contemnunt, delicias, & voluptates seculares execrantur: mortificatione, tum animi, tum corporis se domant; veram virtutem querunt, Dei colloquium, & familiaritatem suspirant, & (vt breuiter dicam) nudi, & expediti (Christum Jesum nudum, & cruci affixum sequuntur. His opus istud non erit prorsus inutile, quia in eo calcaria, & incitamenta ad suum fœlicem cursum inuenient. Nam & sapientibus doctrina necessaria est, vt cautiores, & sapientiores euadant, sicut didicimus ex ore Salomonis: Audiens sapiens, sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Animaduertet parabolam, & interpretationem, verba sapientum, & enigmata eorum. Alij autem sunt imbecilles, & ignaui (quibus verum dico, & gemens dico,) me ipsum annuero) qui sub religiosa veste animum irreligiosum, sæculoque propinquum, gestant, & me, & istos impense cupio à torpore dissoluere, & ad animi puritatem, & spiritualis vitæ perfectionem inflammare. Horum vitam, & mores strictim hoc loco describam, vt in tanta altitudine status, tanta vitæ abiectio, & vilitas perspecta, quemque ad sanctum timorem, & ad vitæ perfectionis amorem inuitet.

Psal. 2.

Provi. 1.

Eccle. 9.

Eccle. 15.

Bern. ser. 2. de Annunciatione.

Ephes. 4.

Vnde autem hanc tepidorum religiosorum inuentionem incipiam? Ab illo perfectò, quod in Ecclesiaste scriptum est, Veri me ad aliud, & vidi sub sole neque velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, sed tempus, casumque in omnibus. Quinam sunt isti veloces? Nisi religiosi, qui pro ratione sui status, non cunctanter ambulando, sed perniciter volando debet ad vitam perfectam euolare? Fæsti autem, nec volant, nec currunt: imò, nec viam perfectionis ambulant, dum aut colloquiis inanibus, aut curis secularibus distinentur, aut otio, & socordia torpescunt. Hi sunt fortes: nam in religionis ingressu, tamquam strenui milites aduersus mundum & suos affectus acere bellum & periculosum susceperunt, & tamen iam non bellant, sed negotiis mundanis, infami ambitioni, & honoris ac dignitatum desiderio colla submitunt. Ipsi sunt veri sapientes, etenim vitam elegerunt quietam, & tranquillam: vt diuinorum contemplationi vacarent, & se totos sapientia committerent, sed panis non est in eorum potestate, ille scilicet panis vitæ, & intellectus (qui nihil aliud est, quàm cœlestium mysteriorum consideratio) quo Deus familiares suos eibat, & abundantissime reficit. Est enim intellectus rerum spiritualium, & inuisibilem (vt ait Bernardus) verus animæ panis, confirmans cor nostrum, & ad omne opus bonum roborans in omni exercitatione spiritali. Hæc pane cœlesti carent, quia panem Egypti nondum consumpserunt, & in deserto religionis positi, sæculi mores conseruarunt.

Sunt etiam doctores, qui non tam verbo, quàm vita, & ipso habitu docent sæculum fugere, & mundanas occupationes declinare: & quia in docendo non laborant, nec suis exemplis alios ad sanctitatem alliciunt, meritis carent, egeni sunt spiritu, nec animarum diuitias compararunt. Tandem religiosi sunt, aut esse deberent peritissimi artifices, quorum est in proprio solo cordis templum Domino extruere, & regiam magnificam intus in mente summo cœlorum Imperatori diligentissime adificare. Sed videntur ad hoc ædificium construendum gratiam & industriam perdidisse, quia non Deo structuram virtutum, sed propriis commodis, quibus inordinate afficiuntur, domos distractionum, & inquietudinum fabricant. Est profectò religiosa vitæ derelictio quæ ad iam omnium peccatorum, & vniuersorum vitiorum contemptio, quæ homo exiit veterem hominem cum actibus suis: induit autem nouum, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Est immane bellum, quo aduersus inordinatos animi affectus, & molestos demonum insultus, gnauius & constanter pugnatur. Est quæstiosa quædam, & honorabilis negotiatio, non aurum, & argentum, diuitiasque perituras: sed

diuinorum

diuinorum contemplationem, (quae vera sapientia est) omnipotentis Dei familiarissimam amicitiam, & virtutis numquam periturae lucrum inquirens. Est tandem aedificatio pulcherrima, qua Deo in nobis templum magnificum, nobis autem in caelesti patria amplissimam regiam extruimus. Sed illi, qui hanc vitam verè felicem profitentur, ô Deus, quàm longè absunt ab his animi internis functionibus, quas hoc vitae genus, atque institutum efflagitat. Multum cura est illis de externo habitu, de corporis amictu, ac de his caeremoniis, quas homines vident, internam autem mentis puritatem, indumenta virtutum, & pios voluntatis affectus, quos Deus ipse videt, & Angeli sancti suspiciunt, omnino contemnunt: cum tamen certum sit, quod iuxta praescriptum Salvatoris, haec oportuit facere, & illa non omittere. Magna abusus (inquit Bernardus) maxima cura est, ut corpus regulariter induatur, & contra regulam suis vestibus anima nuda deseritur. Cum tanto studio tunica, & cuculla corpori procurentur, quatenus cui deerunt, monachus non putetur, cui similiter spiritui pietas, & humilitas, quae profecto spiritualia indumenta sunt, non prouidentur?

Mat. 25.
Bern. in
Apologia
ad
Guillel-
mum.

Vocantur iusti, verum longè est ab illis perfectorum vita iustorum: sunt enim non perfecti iusti, sed nonnihil declinantes in vitam mundanorum, quis enim illorum (paucos verè sanctos, & perfectos excipio) non superbia tumet, non excaescit ira, non pallet inuidia? Quis illorum non illuditur vanis cogitationibus, non diffluit verbis otiosis, non sedatur, si non malis, saltem tepidis, & imperfectis operibus? Quis illorum orans mente non distrahitur, psallens non dormitat, aut erga tremendam maiestatem, quam laudat, non irreuerenter se habet, & incruentum sacrificium offerens, sua tepiditate, & cordis incuria diuinam indignationem non prouocat?

Lugeat illos Ieremias, ipsorum vicem sanè miseram & infelicem doleat, stupens ac admirans dicat de illis, Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum? Pergat adhuc religiosorum calamitatem deplorare, & dictis adiciat, Filij Sion inclyti, amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? An non aurum religiosi, qui tamquam metalla pretiosissima, in caenobis, ac monasterijs à patrefamilias Deo tamquam in thecis sibi charissimis reconduntur? Sed hi obscurati sunt: nam continuis imperfectionibus pristinum splendorem, & sanctitatis decorem amiserunt. An non eorum color optimus, dum modestia grauitate, & silentij celsura seculares instruebant, & ad sanam mentem vocabant? Sed iste color mutatus est, quia modestia in dissolutionem, & silentium in loquacitatem, & in cachinnos conuersa est. An non ipsi lapides sanctuarij? Sunt enim lapides vini, qui sanctam Ecclesiam cingunt, & instar muri fortissimi templum hoc spirituale Christi suis meritis, & orationibus circūdāt, & protegunt. At dispersi sunt in capite platearum cum caenobij adyta relinquentes, & cellularum secreta deserentes, per oppida, & ciuitates otiose discurrunt, domos secularium ad inuisidas mulierculas inutiliter adveniunt, & curias principum, aulāsque regum, nō minus moleste quam periculose frequentant. An non filij Sion, matris Ecclesiae inclyti, & pra omnibus filijs chari, & amabiles; quos Gregorius Nazianzenus partem selectiorem, & sapientiore Ecclesiae vocat? Et insuper amicti auro sapientiae & charitatis purissimo. Sed conuersi sunt in vasa testea, quia desiderijs carnalibus emolliiti, & terrenis cupiditatibus tabefacti, non ad aliud apri sunt, nisi ut in illis dictum sancti Dauidis impleatur. Quod reget eos Dominus in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringet eos.

Thré. 4.

Nazian.
orat. de
laudibus
Basiliij.

Psal. 1.

Ne tamen ex propria mente loqui videamur, Hieronymum hunc Ieremiae locum interpretātem audiamus. Quid namq, auro (inquit) quod metallis caeteris praeminet, nisi excellentia sanctitatis? Quid colore optimo, nisi cunctis amabilis reuerentia religionis exprimitur? Quid per sanctuarij lapides nisi sacrorum ordinum personae signantur? Quid platearum nomine, nisi praesentis vitae latitudo signatur? Aurum igitur obscuratur, cum terrenis actibus sanctitatis vita polluitur. Color optimus commutatur, cum quorundam, qui agere religiose credebantur, existimatio antea acta minuitur. Nam cum quilibet post sanctitatis habitum terrenis se

Hieron.
in cap. 4.
Thien.

actibus inserit, quasi colore permutato ante humanos oculos, eius reuerentia despecta, pallefcit. Sanctuarij quoque lapides in plateas disperguntur, cum causa secularium foras lata itimera expetunt hi, qui ad ornamenta Ecclesia internis mysterijs, quasi in secretis sanctuarij vacare debuerant. Hactenus Hieronymus.

r. ad Ti-
mot. c. 5.

Putantur Angeli, cum tamen sint miseri et imbecilles homines, non tantum natura (nec enim hoc mirum esset, quia cum habitum religiosum induunt, naturam humanam non exiunt) sed terrenis affectibus, et vanis desiderijs, quibus illigati sunt alij filij Adam, qui ad caelestem hunc statum non fuerunt euocati. Vanum honorem concupiscunt, praelaturas, et dignitates religionis, imo et saeculi desiderant; quid dico desiderant? procurant, ambiunt, mercantur, nec desunt, qui per iocum, aut serio dicant, Pauli esse sententiam; Quod qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; aut germanam intelligentiam dissimulantes, aut non intelligentes, Apostolum non superbam, et omnibus, sed maxime religiosam vitam praesentationem suasisse, sed vitam Episcoporum, et labores consuluisse. Proprias commoditates, non quidem necessarias, sed superfluas ad fastum, et ad vanitatem spectantes, quarunt, et ipsi pauperes, qui votum nihil possidendi emisserunt, saepe in corporis cultu, in vestitu, in libris et in alia suppellectili cellularum, diuites mundi et pecuniosos excedunt. Saeculi delicias in cibis, in potibus, et in aliis ad molliem vitam prouocandam sectantur, et castitatis obliui, quam colunt, ea, quae castitatem debilitant, non exhorrent. Propriam voluntatem, quae obedientiam, et promissam subiectionem eneruat, impense diligunt: qui eam vel leuiter tangit, tamquam infestissimum hostem propellunt, et religionis annos, acqvisitam, doctrinam praedicationis munus, et alios in animarum profectum exanthlato labores, ad excutiendum obedientiae iugum, et ad captanda priuilegia et exemptiones, amant. Iam non est in illis humilitatis cura, sed ille habetur melior, qui nescio quo praetextu honoris suae religionis euasit insolentior. Ausugit studium mansuetudinis, et opprobria, vel iniurias non ferunt, sed si possunt grauioribus iniurijs in iniuriosos illatis, qui eos laeserunt, vindicant. Sanctae orationis, non dico exercitium, sed desiderium relegatum est; Psalmos canunt, aut recitant, partim oscitando, partim verba praecidendo, partim vana, et otiosa cogitando, quos non omittunt, ne graue crimen in praecipuum Ecclesia committant.

Osee 7.

Sed quis est qui mente oret? Qui Christi Iesu vitam et mysteria ruminet? Qui sanctorum virtutes et beneficia a Deo accepta recogitet? Qui diuinas perfectiones contempletur? Quod si aliqui sunt, qui hoc faciant, quis est, qui ut aquum est faciat? Quis est, qui orans purgetur? Cogitans illuminetur? Contemplans accendatur, et ignescat? Quis est, qui sanctae contemplationis studio mundum contempsit, seipsum spreuit, honorem conculcauit? Quis est, qui amet nesciri, qui velit non splendere, qui diligit pro nihilo reputari? O quam apte nostro statui accommodari potest illud quod dictum est per Oseam, Ephraim in populis ipse commiscebatur, Ephraim factus est subcineritius panis, qui non reuersatur, comederunt alieni robur eius et ipse nesciuit, sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignorauit. Commiscentur in populis, quia populi mores, et mundanorum vitam imitantur, quia sicut illi de rebus sentiunt, ita et ipsi sentiunt. Uae illis, qui habitantes in luce, sicut filij Israel, ac si essent Aegyptij, excacati sunt, dicentes ut est apud Isaiam) bonum malum, et malum bonum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum! Ecce enim parcitas (inquit Bernardus putatur auaritia, sobrietas, auctoritas creditur, silentium, tristitia reputatur. E contra remissio, discretio dicitur, effusio, liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio, incunditas, mollietates vestimentorum, et equorum fastus, honestas, lectorum superfluus cultus, mūdicia, cumque horum alterutrum impendimus, charitas appellatur. Ista charitas destruit charitatem, haec discretio, discretione confundit, talis misericordia, crudelitate plena est, quia videlicet ita corpori seruitur, ut anima iuguletur. Quae enim charitas est carnem diligere, et spiritum negligere? Quae discretio totum dare corpori et nihil animae? Qualis vero misericordia, ancillam reficere, et dominam interficere? Facti sunt subcineritij panes, qui non reuersantur: sicut enim huiusmodi panes paulatim exuruntur, ita et

Isaia 5.

Ber. Apo-
log. ad
Guillel.

religijs

religiosi modò insensibiliter concupiscentiarum, & desideriorum igne consumuntur, & propria voluntatis expletione obdurescunt, & tamquam panes combusti, & ferè in lapides duros conuersi, vt apponantur in mensa cœlestis regis indigni sunt. Vicia exhausserunt eorum fortitudinem, consumpserunt animi robur, & vires, & hanc ingentem calamitatem ignorant.

Ex hac autem vite tepiditate prouenit, vt qui mundum reliquerunt, & Deo seipsos dedicauerunt, Ecclesia minus vtilis, & fructuosi his miseris temporibus existant. Retinent exteruum religionis habitum, sed mutauerunt naturam, amiserunt internam mentis virtutem, & circumspèctionem, qua Ecclesiam fulciebant, & sustentabant, quare non possunt sicut antea prodesse. Impletur enim in illis, quod scriptum est in Amos: Numquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis? Quoniam conuertistis in amaritudinem iudicium, & fructum iustitiæ in absinthium. Nam sicut celeres equi non possunt per rupes & saxa cursum conscire, nec boues indomiti sunt idonei, vt iugum admittant, & aratro glebas terra proscindant, ita qui pietatis opera in occupationes seculares mutauerunt, & studia iustitiæ, & sanctitatis, in curas proprii commodi verterunt: non sunt apti, vt terrea corda aratro predicationis emolliant, & per Ecclesiam, vt alios inueniant, rapido cursu discurrant. Quomodo enim superbi & elati modestiam & humilitatem docebunt? Immites & implacabiles mansuetudinem & patientiam exponunt? Ambitiosi & inanis gloriæ cupidi contemptum rerum mundanarum edicent? Discordes ac minimè consentientes pacem & concordiam predicabunt? Quo pacto à propriis cupiditatibus victi dabunt assequenda præcepta victoriam? Facti vilissima suorum affectuum mancipia, ad libertatem excitabunt? Et qui orare, & Deum alloqui numquam didicerunt, ad studium orationis allicient? Numquid (ait Dominus) colligimus de spinis vvas, aut de tribulis ficum?] Qui ergo tamquam senticeta prauorum operum spinis animas pungunt, qua ratione vvas adificationis ex animabus colligent? Et qui sicut tribuli iniquorum exemplorum aculeo videntes & audientes stimulant, qui fieri potest, vt suauissimos virtutum ficus in aliis reportent?

Mundus sanè esse à vitis debet (inquit Gregorius) qui curat aliena corrigere vt terrena non cogitet, vt desiderii infimis non succumbat, quatenus tantò perspicacius aliis fugienda videat, quando hæc ipsa per scientiam & vitam verius declinat, quia nequaquam purè maculam in membro considerat oculus, quem puluis grauatur, & superiectas sordes tegere non valet manus, quæ lutum tenet.] Hæc ille. Hi mundi à vitis & cupiditatibus esse debent, quorum est vitiosos & immundos à suis sordibus expurgare, dum verò impuri & lutulenti consistunt, haud quaquam peccatores, à vitis eorum, doctrina & exemplo mundabunt. Qui autem in statu proficiendi sibi & aliis, nec sibi ipsis, nec proximis profunt, quid aliud sperare possunt, nisi vt tamquam ille seruus malus & piger, qui acceptum talentum absconderat, & otiosum tenuerat, acriter reprehendatur, sine remedio dampnentur, & interim, dum damnatio differtur, modico illo, quod habent, spolientur? Modicum est splendor externus, & opinio, quam apud alios religionis & celsioris status causa possident, sed hæc tepidi, & in Dei obsequio negligentes priuati sunt, quando à laicis, & secularibus contemuntur. Quid aliud boni illos manet, nisi, vt tamquam ficulnea infructuosa, quæ tribus annis ficus non dederat, à Domino iubeantur excindi? Plantauit eos benignus Dominus in vinea sua, in vita scilicet religiosa, non vt locum otiosè occuparent, sed vt dulcissimos fructus afferrent, tribus annis, id est, in principio, & medio, & fine, vite, istos fructus quaesuit, nec tamen inuenit. Ad desiderium, & orationem cultoris vinea, id est, prelati, punitionem distulit, & patienter expectauit, donec foderet circa illos, & mitteret stercora, hoc est (vt interpretatur Augustinus) humilitatem, penitentiam, & patientiam doceret. Sed si post Dei longanimitatem, & patientiam, post prelatorum admonitiones, & correctiones, peiores euadant, quid iam expectant, nisi, vt vel per abiectiorem sancti status, quem habent, vel per mortem succidantur, & in ignem concupiscentiarum suarum, vel in ignem semper mansurum mittantur? In hoc sanè periculo

Amos 6.

Mat. 73.

Greg. 6.
mor. c. 7.

Mat. 25.

Luc. 13

Aug. ser.
31. de
verbis
Domini.

versantur tepidi, & suae salutis atque perfectionis obliui.

Cassia li.
4. de in-
stit. c. 33.

Ut enim optime dixit Cassianus: sicut immensa gloria fideliter seruentibus Deo, ac secundum regula institutionem ei adhaerentibus repromittitur in futurum, ita poena grauissima preparantur his, qui tepide eam, negligentique fuerint executi, & secundum hoc, quod professi sunt, vel quod ab hominibus esse creduntur, fructus etiam congruos sanctitatis eidem exhibere neglexerint. Melius est enim (secundum Scripturae sententiam) non vouere quicquam, quam vouere, & non reddere. Hac est sancti istius doctoris sententia, quam sine dubio experientur illi, qui sola externa religiose vitae professione contenti, internam disciplinam non expectant, & vere virtutis studium abiciunt.

Eccles. 5.

Ierem. 6.

Illud autem est valde lamentabile, & innumeris lacrymis deplorandum, quod isti in hoc periculo constituti, securi sunt, & animu concipiunt pacatum, & tranquillum, dicentes: pax: pax: cum tamen non sit pax. Confidunt in dignitate status, in religionis antiquitate, in fundatoris, & primorum parentum sanctitate, ac si minores faciant perfectos, & sanctos gesta maiorum, & quasi non esset turpissimum a primorum patrum operibus degenerasse, eorumque feruorem laudabilem, in teporem & detestabilem ignauiam couertisse. Quid mihi vilitatis affert regalis status, si vitam & mores habeo seruales? Quid progenitorum stemmata, si illorum praecara gesta non sequor? Quid antiquorum puritas, si eam non imitor, & foetidus sum, & impurus? An prophanus Esau sanctitate Isaac patris sui Deo satisfacit? An impius Absalon fidelitate Dauidis arrisit? An iniquus, & crudelis Manasses Ezechiae pietate complacuit? Nullo modo. Imo isti sunt detestabiliores effecti, quia a patrum suorum bonitate desciuerunt, & iniquis operibus illorum gesta saedarunt. Quid prodest ei, quem sordidant mores, (inquit Chrysostomus) generatio clara? Aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Ipse se vacuum ab omnibus bonis actibus ostendit, qui gloriatur in patribus. Quid profuit Cham, quod filius fuit Noe? Nonne separatus de medio filiorum, qui secundum carnem frater natus fuerat, secundum animam factus est seruus. Nec familia eius sancta potuit defendere impios mores. Aut quid nocuit Abrahae, quod patrem habuit Thare luteorum deorum cultorem? Nonne separatus a genere suo, positus est in caput fidelium, ut iam non diceretur filius peccatorum, sed pater sanctorum? Nec potuerunt gloriam eius sordidare paterni errores. Nam & aurum de terra nascitur, sed non est terra, & stannum de argento egreditur, sed non est argentum. Hac auctor ille nomine honoratus Chrysostomi. Sic profecto religiose vitae cultores non possunt seipso antiquorum patrum miraculis, aut vitae integritate defendere, vel religionis vetustate protegere, si sunt patribus antiquis dissimiles, & tamquam rudes semper in vita spirituali tyrones. Quare optime suasit Origenes. Nemo nostrum confidat in iusto patre, in matre sancta, in fratribus castis: Beatus homo, qui spem habet in semetipso, & in via recta. Ad eos autem, qui in sanctis fiduciam habent (intellige fiduciam inanem quasi illi soli sine cura honorum operum nos saluare possint) non incongrue proferimus exemplum. Maledictus homo, qui spem habet in homine. Et illud. Nolite confidere in hominibus. His dicit Dominus: Si filij Abrahae estis, opera Abrahae facite. Si gloriamini quod filij estis eorum, qui Abrahae fidem imitantes exierunt de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui, & venerunt in terram, quam Dominus monstrauit eis, ut faceret eos in gentem magnam, & benediceret eis, & magnificaret nomen illorum, ut essent benedicti, opera illorum facite, vitam sequimini, mores imitami. Exite de terra vestra, de conuersatione terrena, & de cognatione vestra, de voluptatibus, & delectationibus carnis, ac de domo patris vestri, de superbia, & ambitione veteris Adae, cuius sequela vos hucusque destruxit. Hoc est ex Ambrosij sententia Abrahae vestigijs spiritualiter inherere. Consideremus (ait) ne forte hoc sit exire de terra sua, de huius terra, hoc est, corporis nostri quadam commoratione egredi, de qua exiit Paulus, qui dixit, nostra autem conuersatio in caelis est: & de illecebris, & delectationibus corporalibus, quas velut cognatas animae nostrae, dixit, quam compati necesse est corpori, donec eius colligata vinculo adheret. Ergo exire de conuersatione terrena, & a secularibus

Chryf. in
imperfec-
to super
Matt. in
c. 3.

Genes. 9.

Gen. 11.

Orig. ho.
4. super
Ezech.

Iere. 17.
Psal. 146
Ioan. 8.

Gen. 12.

Amb. lib.
1. de A-
brach. c.
2.
Philip. 3.

oblectamentis, & superioris vitæ moribus atque actibus debemus, ut non solum loca, sed etiam nos ipsos mutemus.]

Exite, inquam, ad Abrahæ scilicet vestri spiritualis patris exemplum, de terrestri habitatione vitiorum, de ignominiosa propinquitate peccatorum, de domo secularium occupationum, alioquin, ne velitis dicere intra vos, patrem habemus Abraham, dico enim vobis, quoniam potens est Deus, de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Potest visque Deus, cuius ira nemo resistere potest, vos à cœtu sanctorum excludere, & in abyssum proicere, dura autem mundanorum corda excitare, & ad religionem vocare, qui patris religionis imitatores effecti, non habitu tantum, sed moribus, eorum charissimi filij vocentur. O quæ bene in eos, qui de religionis antiquitate, & sanctitate se iactant, illud Abdia quadrat. Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum, qui dicis in corde tuo, quis detrahet me in terram? Non enim operibus, non laboribus, non rebus præclarè gestis superbiunt, quod esset minus forsitan incoherabile, sed cordis sui cogitationibus intumescunt. Quia scilicet, vident se habitare in scissuris petrarum, & inter viuos, ac electos lapides, inter sanctos viuos, ac perfectos commorari, & solium, ac requiem inter Dei familiares & amicos retinere. Huius habitationis causa tument, & dicunt, si non verbis, intus tamen in animo. Quoniam modo peribimus? Quoniam ratione damnabimur, qui munitissimam hanc ciuitatem incolimus, & in præruptis silicibus habitamus? Quibus econtrario dicit Dominus, Si exaltatus fueris ut aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum, inde detrahā te. Nihil eis proficit status celsitudo, quia in eo exaltantur, ut aquila. Nam sicut aquila in sublime volans, corpore tantum terrena deserit, cor tamē, & oculos in terra, habet defixos, ut animalculū vilissimū ad escam, accipiat, ita hi externo corporis indumento, & status obligatione, terrena despiciunt, animo tamen, & voluntate mundi volūtares, & commoda nequaquam derelinquunt. Nihil refert, quod inter sydera, & splendidissimas sanctorum virorum stellas nidum collocauerūt, quia cum non sicut stelle sanctitate luceant, sunt sicut Saul inter Prophetas, & tamquam Lucifer inter Angelos, à quorum cōsortio fuit miserabiliter exturbatus. Inde iustissimo Dei iudicio detrahuntur, & nunc in mundanorum numero: postea verò in reproborum sorte ponentur.

Hos ergo, qui à feruore primæ vocationis exciderunt, & se non propria, sed aliena virtute exornarunt, cupio his voluminibus ad perfectionem & sæculi fugā exhortari. Et tãtò maiore auiditate istum laborem suscipio, quanto huiusmodi homines, non paucos, sed multos admodum esse formido. Potest enim Dominus de quauis religiosa congregatione, nunc dicere, quod antea dixerat per Prophetā Amos, Urbs, de qua egrediebatur mille, relinquentur in ea centi, & de qua egrediebatur centum, relinquetur in ea decē in domo Israël. Nam in Ecclesia sancta religiones sunt, sicut vrbes fortes, & egregia, ex quibus strenui milites educuntur, qui fidem tuentur, virtutem defendunt, vitiorum & peccatorum copias, tum docendo, tum operando, deuincunt. Sed ex qualibet istarum vrbiū, o quàm pauci iam educuntur in prælium, quàm rari sunt, qui bellare didicerint, quoniam ad ignauiam, inertiam, & timiditatem infelicitè deflexerunt! Væ mihi (ait supremus rex, atque istarū vrbiū potentissimus Imperator) quia factus sum, sicut qui colligit in autumnno racemos vindemiæ: non est botrus ad comedendum, præcoces ficus desiderauit anima mea.] Dolet Christus, vel ad modum dolentis se habet: nam sicut qui querit racemos post factam vindemiam, non multos querit, sed paucis suo desiderio satisfacit: ita ipse in his vineis Engaddi paucos saltem racemos, id est, aliquos sanctos, & perfectos inquirat, & nec istos aptos ad comedendum reperit: desiderat iam maturefcentes ficus, id est, qui in spiritu proficiant, qui passionum & propriæ voluntatis acerbiter abijciant, qui orationis dulcedinem, & suauitatem sectentur, & fere nullus talis occurrit. In quolibet cœnobio, vnum, aut alterum perfectum inuenies: duos, vel tres, qui tranquillitati, & puritati cordis insistant: paucissimos, qui suis affectibus imperent, & humilitatem, ac sui despectionem concupiscant: Reliqui verò non iniqui sunt, & mali (absit, ut hoc de religiosis existimem) sed in cultu Dei tepidi, in virtutum desiderio remissi, & in studio perfectionis incuriosi.

Videas

Math. 3.

Iob. 9.

Abdia 1

Ibidem.

Amos 5.

3.

Mich. 4.

Videas eos immodestos, loquaces, inanis gloria cupidos, honoris avidos, studiis vanis, & negotiis secularibus distractos, Cella quietem fugiunt, psalmodiam auersantur, lectionem parvipendunt, orationem fastidiunt: amant concursus populorum, colloquia vana mundanorum familiaritates magnatum, obsequia principum, & tanquam monstra quaedam, sub externa religionis imagine, vitam preferunt secularem.

Rom. 9. Horum itaque miseriam lamentabilem Christus dolet, & ego eius minimus seruus aliquando doleo, & licet valde dissimili spiritu, verba tamen Apostoli vsurpo. Veritatem dico in Christo Iesu, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto, quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. Non exaggero, non amplifico, sed simpliciter, quod mihi accidit, narro, magna saepe tristitia afficio, dolore crucior: dum nostri status calamitatem, & miseriam animaduerto, adeo, ut quodammodo possim dicere, quod Paulus ipse subiungit, Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei, si non secundum carnem, sed certe secundum spiritum, vinculo scilicet aetiori, qui sunt Israelitae, quorum adeptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum patres, ex quibus est Christus.]

Ibidem.

Hieron. trad. in Gencl.

Ezech. c. 13.

Isaia 8.

Matt. 19.

Matt. 19.

Cur non discrupter, & Christi familiaritate dulcissima ad tempus carere optem, dum laboribus studiorum occupor pro fratribus meis, pro omnibus nimirum vita religiosa sectatoribus, quos video in tantum teporem, & negligentiam incidisse? Ipsi sunt ex genere spiritualis Israelis, qui (ut interpretatur Hieronymus) significat praeualens Deo, quoniam deberent precibus praeualere ei, & orationibus fortes esse contra Deum, & manum eius tenere, quia mundum tot supplicijs ob nostras iniquitates ferit. Sed nec praeualent Deo, imò nec mutire audent: quia se etiam mundi iniquitatibus reperiunt implicatos. Quibus ipse Dominus hanc ignominiam exprobrat per Ezechielem. Non ascendistis (inquit) ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in praedio in die Domini. Ipsorum est adoptio filiorum: quoniam prae omnibus alijs fidelibus, ratione altioris status, & vitae purioris a Christo adoptantur in filios, quos dedit illi Dominus, ut sint in signum & in portentum in Israel, Ipsorum est gloria & excellentia, qua ab Angelis socij, ab hominibus vero Dei amici, & familiares reputantur. Ipsorum est testamentum, id est, pactum, quod cum illis pepigit Deus, ut omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter Christi nomen, centuplum accipiat, & vitam aeternam possideat. Ipsorum est legislatio: quia specialiter legem Euangelicam receperunt, quam perfecte observant, & regularum muro, & antemurali cinctam, custodiunt. Et obsequium: nam a saeculi turbis, & curis segregati sunt, ut divinae sint maiestatis cultores. Nec non, & promissa illa magna, & ineffabilia: quibus illis promissum est, quod sessuri sunt super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel, & uniuersas nimirum orbis nationes. Ipsorum sunt patres, ex quibus est Christus: Nam sanctarum religionum fundatores, Christum spiritu conceperunt, Christum praedicarunt, & in suorum cordibus filiorum Christum genuerunt.

Rom. 11

Istos itaque tam magnos, tam paruos, tam sublimes, tam abiectos, tam diuites, tam mendicos, ad perfectionem excitare nitor. Istos tam magnos statu, tam paruos vita: tam sublimes dignitate, tam abiectos moribus: tam diuites regulis, documentis, & legibus: tam mendicos sanctitatis, atque virtutum, ad vitae puritatem exhortari contendo. In conspectu illorum vitae spiritualis diuitias, virtutis pulchritudinem, perfectionis iucunditatem, constituo, si quo modo ad emulandum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis. illos denique ad verae virtutis studium, & amorem accedo, ut emulentur charismata meliorata, & ut sanctorum patrum, ducumque suorum, sint ipsi, & filij, & sectatores. Enim verò mirum in modum optandum est, ut si non multi Benedicti, aut multi Dominici: si non multi Francisci, aut multi Ignatii sunt in mundo, plurimi tamen essent eorum filij, non sacco, & zona tantum, non veste vili, & abiecta (isti enim multi admodum sunt) sed contemptu saeculi, sed interna omnium vitiorum abnegatione, sed virtutum operibus, sed mentis puritate.

Ut ergo hi in *via perfectionis erudiantur, non Christiane legis rudimenta proponenda sunt, sed subtiliora, & perfectiora huius sacræ scientiæ documenta propalanda. Non enim decet sermone nostro à grauioribus criminibus illos abducere, qui leuia peccata deuitant, nec à libidine, & appetitu vindictæ, & percussione proximorum auertere; quos cibi, potusque mensura, & ex ipso statu concepta cordis humilitas, & mansuetudo lenissima remouet. Alia doctrina perfectior, quæ in fuga leuissimorum defectuum, & in passionum mortificatione, ac in cordis perfectâ munditia consistit, illis ingerenda est more sanctorum Patrum, qui non seculares, sed religiosos docuerunt. Hoc obseruauit Bernardus, uolens canticorum explanatione suos filios instruere. Vobis fratres (inquit) alia, quàm aliis de seculo, aut certè aliter dicenda sunt. Illis siquidem lac potum dat & non escam, qui Apostoli formam tenet in docendo. Nam spiritualibus solidiora apponenda esse, itidem ipse suo docet exemplo. Loquimur (inquiens) non in doctis humane sapientiæ uerbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. Item: Sapientiam loquimur inter perfectos, quales uos nimirum esse confido, nisi frustra forte iam ex longo studii estis celestibus occupati, exercitati sensibus, & in lege Dei meditantes die ac nocte. Itaque parate fauces, non lacti, sed pani.*

Ber. ser. 2.
in cant.

1. Cor. 2.

Ibidem.

Basil. reg.
4. fufius
disp.

Hoc & Basilius custodiuit. Verùm uobis (ait) qui ex ea iam, quæ in Christo est infantia, excessistis, neque lacte iam amplius egetis, sed quod ad interiorem hominem attinet solido doctrinæ cibo ad perfectionem adolescere & prouehi potestis, præceptis sublimioribus opus est; iisque in quorum expletione uniuersa charitatis Christiane ueritas legitime absoluitur. Idem & alij Patres asseruarunt, quorum exempla consecrans, religiosi religiosa, sancta & sublimia uirtutis ac sanctitatis documenta uellem explicare. Verens enim (ut uerbis Ambrosij tantisper immutatis utar) his increpationibus, & supplicii subdi, quæ in pigrum seruum congeruntur, timore pænæ percussus, amore fraterno inuitatus, non iam ad infimum loquor uulgus, quos iugiter monere consueui, sed ad ipsos iam prædicatores uulgi mea uerba conuerto; & meis conseruis, uelut obediens seruis, id est, religiosus religiosi audacter prædicare salutis cõmunia non retardabo nec prerogatiuam mibimet scientiæ, si hæc meis commilitonibus charitatis intuitu, prerogem, uendicabo: aut uitæ perfectæ me esse fateor, cum de uita perfectæ alios moneo, sed potius cum hæc ad illos loqui audeo, simul cum illis, quæ loquor, audiam.

Amb. lib.
de digni-
tate sa-
cerdota-
li ca. 1.

Non timebo igitur altissima perfectionis mysteria, & quæ captum humanum superant, oculis sanctorum offerre, quia non quæ ego feci, aut expertus sum (fateor enim libentissime multa me dicturum, quæ non sum expertus) sed, quæ in me desiderauit, quæ à Domino sepius postulauit, quæ in aliquibus uiris spiritualibus uidi, quibuscum indignus uiuo, & quæ in sanctis Patribus legi, sum propositurus. Quæ uehementer rogo, nemo qui legerit, aut impossibilia, aut nimis difficilia iudicet; sed si de his uoluerit proferre sententiam (ut monet Cassianus) & utrum impleri quæ ant. desiderat experiri, festinet prius eorum Patrum, qui docuerunt, propositum simili studio, & conuersatione suscipere, & tunc demum ea, quæ supra facultatem hominis uidebantur, non solum possibilia, sed etiam suauissima deprehendet. Periculose enim presumptionis est (ut alio loco ait idem uenerabilis Cassianus) nec dum rebus rectè discussis, nec certa ratione collectis, de natura cuiuslibet rei proponere, & definire, ac de fragilitatis suæ consideratione capere coniecturam, non de statu, & qualitate ipsius discipline, uel de aliorum experientia, proferre sententiam: Quod simili satis apto confirmat. Addit quippe. Neque enim, si quis natandi ignarus, sciens pondus corporis sui ferri aquarum liquore non posse, experimento suæ uoluerit imperitiæ definire, neminem penitus posse liquidis elementis, solida carne circumdatum sustineri, idcirco uera eius opinio iudicanda est, quam secundum experientiam suam uisus est protulisse, cum hoc non solum non esse impossibile, sed etiam perfacile ab aliis fieri, ratione certissima, & oculorum fide non dubia comprobetur.

Cassian.
præf. col-
lation.Collat. 7.
cap. 4.

Abiciat itaque huius operis lector socordiam, & ignauiam: secundum præscriptum suæ regule uiuat; uanas cogitationes comprimat; affectus cohibeat; silentium amet; colloquia sancta suscipiat, corpus domet, orationi & meditationi uacet, ac puritati mentis insistat, &

tunc hæc, quæ à nobis afferentur, an impossibilia sint, an potius possibilia, & facilia, cognoscet.

Hæc duo, quæ hucusque proposui, honestas, & utilitas, me valde ad scribendum inflammant; sed tertium, possibilitas scilicet, non parùm profectò ab opere suscepto deterret. Quid enim homo spiritualis scientiæ imperitus, vita incultus & agrestis, & corpore penè defectus, poterit sibi in tanti operis immensitate promittere? Hanc perfectionis sapientiam, nec acquisiui, nec didici, nec à longè salutavi. Magnis peccatis sum illigatus, vitis, ac pravis habitibus imbutus, affectibus inordinatis, ac longa tepidè viuendi consuetudine dissolutus. Corpus est mihi inueteratis morbis exhaustum, capitis dolore quotidie crucior, & non nisi certis horis ante refectionem consuetam, aut legere, aut scribere aliquid valeo; quibus horis sapissimè rerum exteriorum, quæ ab Obedientia mihi iniuncta sunt, occupationibus impediòr. Quid igitur homo ineptus & impeditus, de tam sublimi materia aut utile, aut spiritualium virorum conspectu dignum conscribet? Profectò sepius volui me ab hoc labore subtrahere, aut saltem in aliud tempus differre, quo nec aduersa valetudine, nec occupationibus præpedirer; sed id consilium istud remouet, quòd nec corporis incolumitatem, nec externarum occupationum cessationem spero, nec meis viribus (quæ nulla omninò sunt) sed Dei numine, atque afflatu, debeo hanc prouinciam aggredi, & si illi placuerit, ante mortem, tantum opus consummare.

Psal. 77. Dominus est, qui puerulum Dauidem sustulit de gregibus ouium, & de postfatantes accepit eum, non solum, ut pasceret Iacob seruum suum & Israël hereditatem suam, sed ut etiam gratiæ mysteria calleret, & Ecclesiam illuminaret. Dominus est, qui piscatorem Petrum spiritu sapientiæ repleuit, quò fidem doceret, infidelitatis cecitatem dispelleret, vitia destrueret.

Amos 7. Qui armentarium Amos hycomoros vellicantem, ad fastigium prophetiæ & diuini luminis opes, sublimauit. Ipse itaque (cui me totum commisi) poterit vilissimum seruum suum, peritia, & viribus, & temporis opportunitate ad scribendum dignare. Ignorantia quidem, & naturalis incititia, me penè desperare faciebat, sed (ut verba assumam Beati Gregorij) ad illum spem protinus erexi, per quem aperta est lingua mutorum, qui linguas infantium facit disertas, qui immensos, brutosque asini ruditus per sensatos humani colloquij distinxit modos. Quid ergo mirum, si intellectum stulto homini præbeat, qui veritatem suam, cum voluerit, etiam per ora iumentorum narrat?

Greg. in præm. mor. c. 2.

Imperfectionis magnitudo, & vitiorum, quibus scateo, multitudo me ab incepto retraherent; sed ea consideratio animat, quòd non meam, sed Christi, & Sanctorum doctrinam sum expositurus. Quam lectores obsecro attentè legant, reuerenter suscipiant, impigrè complectantur; scriptorem verò tanquam vilissimum, & male aptatum calamum, ignorent, & contemnunt. Si magni enim cuiusdam viri (inquit idem sanctus Pater Gregorius) susceptis epistolis legeremus verba, eaque, quo calamo fuissent scripta, quæreremus, ridiculum profectò esset, si non & epistolarum auctorem scire, sensumque cognoscere; sed quali calamo ea verba impressa fuerint indagare studeremus.

Gregor. in præm. mor. c. 1.

Sic ineptum erit scriptoris vitam, & mores inquirere, & propter eius vilitatem, Dei viuentis, & Sanctorum distantium doctrinam aspernari. Imbecillitas corporis, & cura, atque occupationes ab hoc opere reuocabant; sed Deus ipse confirmat, qui infirma mundi elegit, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret: Unde & poterit me imbecillum ad istorum librorum scriptionem roborare, ut non gloriatur omnis caro, sed regi seculorum immortalis, atque inuisibili, soli Deo honor & gloria conferatur.

1. Cor. 1.

1. Tim. 1.

Jam ergo his rationibus animatus, meo desiderio satisfaciam; gratitudinis erga Deum, qui me ad suam domum vocauit, significationem mundo offeram; ac fratribus meis omnibus religiosi aliquod vitæ spiritualis adiumentum præstabo; ut si magnus esse non potuerim, tamquam, qui virtutum opera fecerim, & docuerim, saltem docens sic homines, & mandata maiora pro posse non soluens, minimus, hoc est, pusillus inter pusillos, ac peccatores conuersos

Matt. 5.

inueniar in regno caelorum. Perfectionis excellentiam & pulchritudinem scribam, ac media ad eam consequendam declarabo; non, ut hanc dulcissimam sponfam tenens, sed ut suspirans; non ut possidens, sed ut concupiscens; non ad eius purissimum admissus thalamum, sed ut qui ab

Phil. 3.

ipsis religionis initijs in eum desidero admitti; non tamquam, qui iam acceperim, aut iam perfectus sim: sed tamquam qui sequor, si quomodo comprehendam, & huic eximio vocationis meae beneficio vicem reddam, quo & comprehensus sum à Christo Iesu.

Et quemadmodum pauperuli, postquam totum diem in mendicando consumpserunt, ad proprium hospitium de nocte recepti, interim magnificum colloquium instituunt, quo de potentum diuitijs, de principum fastu, de regum imperio, & dignitate tractant, & illi, qui genere sunt abiectissimi, conditione viles, penuria despecti, verbis, & sermonibus videntur amplissimi; ita & ego mendicus, qui ab adolescentia vitam in spirituali mendicatione consumpsi, & iam à fratribus meis, qui exemplo me docent, iam à sanctis, quos saepius inuoco, stipem ad mendicitatem propriam subleuandam enixè postulavi, cum quietem aliquam exopto, amplum & grande colloquium affecto, in quo iustorum opes, sanctorum diuitias, aulicorum caelestium dignitatem, pulchritudinem, ac purissimas voluptates, sum illustraturus, adè ut qui me cognouerit, nihil egentius, & imbecillius; qui autem sine notitia audiuerit, nihil ditius, & opulentius existimet. Sicut etiam mercatores, quibus infeliciter mercatura successit, mercibus suis in mare submersis, aut substantia, alia via dilapidata, solent ad vite solatium calamum accipere, & mille summas computare, rationesque subducere eorum, quae lucrifacere nescierunt: ita ego virtutis, ac puritatis mercator infelix, qui plurimos annos in hanc dignissimam negotiationem impendi, & praecurria, & negligentia maxima, nihil profeci, nihil acquisiui; hoc meae egestatis solatium accipio, ut assumpto calamo, rationes fingam, virtutum numerum supputem, ac summam conficiam eorum, quae in lucro, & questu animae meae, propria ignavia causâ, non posui. Et tandem, ut pictor consuevit, in annulo, vel tabula illius virginis effigiem exprimere, quam vnice amat, & cupit in matrimonium accipere: ita hoc mihi leuamen relinquatur, ut post tot sancta virtutis, ac perfectionis desideria, quae benignissimo Deo donante percepi: tandem eam, quam sponfam affecto, in his libris mihi, & alijs perfectionem stitientibus, tamquam in annulo aut tabella depingam. Tu Domine Deus meus, qui me à seculo nequam liberaisti, & animam meam de laqueo venantium, id est, negotiorum mundanorum eripuisti: Tu, qui me abscondisti in dulcissimo gremio Societatis Filij tui, in quo millies quolibet momento tuam providentiam erga me, tuam mansuetudinem, benignitatem & amorem experior, auxiliare mihi in hoc opere, quod ad tuum honorem, tuaeque misericordiae manifestationem, ac religiosorum vtilitatem suscipio. Scis, ô amator ardentissime, quantum res tam profundas, ac sublimes tractare erubescam; quantum in hac tractatione mihi ipse diffidam, & quantum tibi pauperum spei & remedio confidam. Sentiam ergo super me manum potentiae tuae, quae meam intelligentiam illustret, voluntatem inflammet, corpus confirmet, commoditatem scribendi suppeditet, ut in hoc experimento discam, quod respicis

Iudith. 6.

humilitatem, hoc est, vtilitatem meam, & facies Sanctorum tuorum attendis, qui huius operis lectione proficient: & ut ostendas, quod non derelinquis praesumentes de te; & praesumentes de se, ac de sua virtute gloriantes, humilias.

Faint, mostly illegible text in a large rectangular frame, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text at the bottom of the page, possibly a signature or a date, including the word "Anno".